



NOVA  
**POSONIENSIA.**  
 ANNO CHRISTI MDCC XXII.  
 DIE XII. AUGUSTI.

**D***X Italiã, a. d. 4. Julii.*  
 Imperator Rex Catholicus magno Duci Florentiæ publicam dedisse fidem dicitur, commoda sese ejus ac ditionis subiectæ curaturum. Romã privatorum fide accepimus, quòd præproperus Cardinalis de Aquaviva eò reditus non aliunde evenerit, quàm ex sparsis Albani rumoribus de subdolo quorundam molimine, qui ære aut passione corrupti hamum vel in sicco tetenderunt, ad eum indè in portum Nettunensem rapiendum; qualis & dolus Neapolitano cuidam Principi sub Pontificatu Urbani VIII. accidisse dicitur: ut proinde tam dictus Cardinalis, quàm Prætendens, seu Eques S. Georgii Sanctissimum ac-

cesserint, facti telam retexturi. Mons pietatis, uti vocant, Romæ instruitur 10000. scutorum millibus, ut hoc præsidio civitas & Comitatus Avenionensis, contagio & miseris enervata, quadantenus relevetur.

*Venetis, a. d. 11. Julii.* Magnus Florentiæ Dux frequentur cogit Senatûs Consiliũ super rebus ita vertentibus, ac se vero cavit interdicto, ne qua munitio bellica suis è partibus ad Principum aliorum partes exportetur, aut in eorum favorem divendatur. Aula Florentiæ Comitem de Ilderis Legatum Cæsaris proximè Mediolano, Parmã & Genuã magni cum momenti commissis expeditum præstolatur. Hujate à Senatu D. Franciscus Gritti, loco Domini Emo functione suã emeriti, electus est Legatus Venetorum ad Aulam Turciæ destin-

nan-

nandus. Litteris nuntiatur datis Constantinopoli de gnâ Junii, Othomannos æquè ac Moschos esse intentos lucro è tumultibus Persiæ, piscando in turbido, armis prædæ avidis faciendo.

*Alia, a. d. 15. Julii.* Conflictus infelix Regis Persiæ cum suis rebellibus posset Aulam Turciæ contra Russos commovere, si quidem hi tenere velent partes rebellium, eò quòd Persia serviat Turciæ pro antemurali, atque hinc Regimen Persicum nolit opprimi, ne tractu temporis par clades ex propinquo Turciæ accersatur.

*Hamburgo, a. d. 18. Julii.* Legato Czari Russiæ in Suecico-Holmiensi Sede Regiâ sunt adjuncti tres Commissarii, qui concurrant ad prætensum Imperatoris titulum ab eâdem Aulâ impetrandum, Aula Daniæ Ducem Holsato-Retwicensem accersivit Hafniam, ad rem circa vacantem Ducatum Plônensem cum ipso amicè transigendum; qui verò Dux reposuit: transitum eò sibi non licere per negotia, Ministrum verò suum eò esse destinandum; cujus proinde causæ exitum avidè præstolamur, ex quo scilicet Imperator prætendit Ducatum Plônensem tanquam jure feudali abs se dependentem; cum ex alterâ parte velit Aula Daniæ, quasi patris dotalibus iste Ducatus Coronæ Daniæ in appendicem cesserit,

*Parisis, a. d. 20. Julii.* Famofus Pellifex insignis raptor & assassinus, lapsâ Veneris, hujatem ante Curiam vivus in rotam actus fuit, duo cujus socii ejusdem fuffuris pœnas laquei pependerunt; quorum prior diebus paucis ante supplicium diversos hujus civitatis prodidit, quibus consuetudo suspecta cum primipilo scelerum Cartouche intercessit; qui verò ità detecti cum suis in ædibus quærerentur, nec eorum qui-

dem umbra comparuit, quòd corpora nefaria evasissent. Legatus Czari Moschoviæ hesternâ die Castrum Versallen. se hinc adiit, sive ut operis augustam quasi Majestatem consideret, sive ut quoddam Principalis sui mandatum penès Aulam exequatur. Rumor aulicus propolatur, Comitem de Morville Regis nostri Legatum sub ineuntem Augustum debere, cameracū auedere ut de concurrente aliorū Principum, quorum interest, Ministrorum assensu certa pro congressu pacis inchoando dies statuat. De 7mâ currentis Madrito transcribitur, quòd summa non spernenda peculii denuo ab eâdem Aulâ sit variis transmissa Regni portibus in usum navalis armaturæ; quanquam nemo ullus penetret, quem in scopum armatæ naves Hispanicæ destinentur. Interea Ministri tam Britanici, quàm Hollandici in Prædio Balsanensi diversis à Rege Hispaniæ admissi sunt alloquiis non sine argumento gratiæ ac suavitatis evidente. In Aulâ Madritensi quidem de militiâ campestri reducendâ, seu reformandâ passim discurretur, robur tamen militiæ navalis augebitur. Juxta litteras Madritum datas Gadibus, 26tâ Junii duæ Hispanicæ naves bellicæ 60. instructæ canônibus, quibus Locumtenens Generalis Ferdinandus de Chacon imperitat, eo è portu ad Hispaniam Novam vela dederit, conferens Marchionem de Casafuerte, quâ Proregem ejus patriæ nuncupatum, unâ cum eccellente argenti vivi copiâ pluribus armis ac instructu militari; cui pariter nationi diversa, quibus in rem suam gaudeat, indulta & privilegia transmittuntur.

*Alia de eodem.* Martis nuperâ, Comes de Windischgrätz Legatus Majestatis Cæsareæ ejusdemque Illustrissima Conjux hinc accedebant Versalium, ubi

Cardinalis de Bois eos Regis præsentavit alloquio, exceptos ore ac gratiâ liberali; deinde spectando artem hydraulicam seu aquas è venis affabrè laboratis salientes, non mediocri gaudium perceperunt. Crastinâ Purpuratus de Acunha hinc Madrito Ulyssipponem viam suscipiet. Quam nostra Societas Indica navem tertiam è Chinâ præstolatur reducem, in Portum-Ludovicanum felice cursu est applicita; quæ navis tergemina, uti passim affirmatur, ultra 14. milliones in mercibus, ac speciatim 4. milliones in sericis, contulerunt. Hesternâ Dux Aurelianensis inter discumbendum palam declaravit, Regiam Galliæ Majestatem decrevisse hiemem in hac Lutatiâ transigere. De comprimis fructuoso tractatu commercii hanc inter & Russicam Aulas erigendo jam non ambigitur, quod ad opus perutile citra moram promovendum nobilis Minister hinc Moscuam venit ablegandus. Denuo 12. viarum prædones in Seulensi nemore apprehensi, ante biduum captivi huc ducebantur.

*E tractu Rbeni, 27. Julii.* Princeps Elector Colonienſis, 19nâ hujus, 36. novos Equites in S. Michaëlis Ordinem elevavit. Martis præteritâ, Baronissa de Lohe à *Wissen* in vices defunctæ Comitissæ de Veltbruk electa est Novesii in ejusdem Perillustris Capituli Abbatissam; Jovis verò nuperâ Reverendissimus D. Neo-Abbas Brauweilerensis D. Edmundus Schmitz in hac qualitate sub festivis machinarum persæpe displosarum ac sclopetarum applausibus, ac subditis Domini stantibus in acie, solemniter est introductus. Constat ex Augustâ Viennensi, quòd Comes de Königsegg novus Transylvaniæ Gubernator Dresdâ eò accesserit, proximè huius eminentis officii possessionem aditurus.

*Alia. de eodem.* De 24 ta labentis refertur Hagâ Comitibus, quòd congregati Status Belgii Federati deliberent super capite, quonam possint medio suppleri expensæ per Rempublicam faciendæ, cum sit conclusum militiam augmentare. Insuper prothalassus ejusdem Reip. de Grave quòd remonstravit Statibus, navem suam non esse armatam nisi 50. canõnibus; navem verò Algeriam esse instructam 56. tormentis & 500. militibus, hinc & credere sese opus esse plenum alex hostilem numero armorum & hominum superiorem barbarorum navem adoriri, nisi permittant Status adhuc 50. armatos adsciscere; quod & ipsi à Statibus est concordatum, qui mandatum dederunt tot habiles prohibitu in augmentum conscribendi. Cum Ordines Belgii Domino de Walpole quædam commissa dederint, agenda penès Aulam Britannicæ, possent actum congressûs in finem tractandæ pacis Cameraci prærogare; bene ponderato, quòd Belgæ Federati requirant Aulam Angliæ, ne sese tali pacis tractatui ( nisi prius Hispania destiterit à prætersâ restitutione Gibtaltaræ ac Portûs Nationis, & nisi Potentiis duabus maritimis Angliæ ac Hollandicæ præstetur ex parte Hispanicæ fides publica de agendo immuni commercio, in vim pacis signatæ Ultrajecti ) ullatenus intromittat. Czarus Russiæ subsistet etiamnum ad tempus Astracanæ, successum classis suæ præstolans in Persiâ; utrùm verò in odium, vel in favorem rebellium ea clas sit destinata, indaginis est altioris.

*Viennâ, a. d. 8. Augusti.* Lapsâ veneris gloriosissimæ Majestates Cæsareæ in comitivâ Augustissimarum, Archiducum Principissarum Leopoldinarum è loco miraculis splendidissimo *S. Maria Cellensis* in montanis Styriæ situato post peractam ibidem secundâ, ante hanc,

die devotionem, munerumque \* majesticorum oblationem, mediante postâ in optatissimo fanitatis Statu redierunt. Hesternâ R. P. Josephus Reichenau è S. J. A. A. L. L. Phil. Doctor & senior in antiquissimâ & celeberrimâ Universitate nostrâ, sub consvetis solemnibus, resolutis inter hæc quæstionibus: *An esset habitabilis orbis terraqueus, si sua natura delinqueretur; & An major sit felicitas in vitâ activâ & civili, an in contemplativâ?* actum Philosophiæ Magistrorum glorioso omnium exemplo absolvit.

\* Consistebat ex his unum in effigie SS. TRINITATIS ex argento puro 700. librarum nostrarum, alterum verò itidem ex argento in Imagine Crucifixi Domini nostri in

magnitudine Staturam humanam præsentans.

*Alia indidem sub illâ.* Nupernâ solis Augustissima Cæsarea Catholicaque Majestas comitantibus Nuntio Apostolico aliisque Ministris aulicis ad neo-erectum Nosocomium hispanicum extra Urbem in plateâ waringerianâ ( vulgò Waringer Gassen ) situato se se recepit, postque absoluta ibidem ab Archi - Episcopo nostro sacra solemnitas, primum Xenodochii Hispanici, sub titulo *Beata Virginis Mariæ de Mercede*, fundamentalem Lapidem, sub consuetis solemnitatibus imponere gratiosissimè placuit. Literata in prædicto Lapide inveniebantur sequentia:



SVB INVOCATIONE DEIPARÆ DE MERCEDE  
AVGVSTISSIMVS ROMANORVM IMPERATOR  
CAROLVS VI. CLEMENTISSIMVS, PIÆ DOMVS

Sancti hispanicæ Monarchiæ hospitalis  
Fundator, piissimus elargitor, primum  
Hunc posuit Lapidem

*Die II. Augusti Anno salutis M. DCC. XXII.*

XENO DO CHIVM Hispanis, Italis & Belgis patens.

*Posoni a. d. 12. Augusti.* Consultationes Diætales inaudito hucusque fervore jam proseguuntur, cum nimirum ad sextam & ultra subindè horam die perdurent, continuòque labore dictationes conclusorum absolventur:

præteritâ solis ad 60. criminum variorum noyii viennâ secundò danubio hic adpulsi sunt, Albam græcam Orsovamque, ad solvendas laborando ibidem in propugnaculis delictorum pœnas, deducturi.